DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

SYPHILIDIS TRACTATIONE

SINE

HYDRARGYRO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SYPHILIDIS TRACTATIONE
SINE
HYDRARGYRO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BARTLET,

SCOTO-BRITANNUS,

LEGIONIS OCTOGESIMÆ OCTAVÆ CHIRURGUS SECUNDUS.

Die 1mo Augusti horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXVIII.

AMICO SUO OPTIMO

PATRICIO BARTLET,

HOCCE OPUSCULUM,

PROUT GRATI ANIMI PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

2

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

SYPHILIDIS TRACTATIONE

SINE

HYDRARGYRO.

PROŒMIUM.

Anni trecenti jam elapsi sunt, quoniam Hydrargyrus ut remedium ad morbum venereum in usum venerit, et etiamsi varia remedia in eo temporis spatio interdum ei suffecta sint, et pro tempore prævaluerint, citiùs tamen seriùsve Hydrargyro iterum decursum est.

Temporibus recentioribus omnia alia remedia tam rarissime usurpata sunt, ut Hydrargyrus unico remedio habitus sit, quo Syphilis superari potuerit.

A

Paucos intra annos proximos id iterum disputatum est, et is morbus methodo medendi sine Hydrargyro subjectus est, et exitus tales fuere, ut dubitationes de justitia opinionum prævalentium foveant, et haud parum doctrinas consuetas labefactent.

Methodus illa nova, scilicet morbum venereum tractandi sine Hydrargyro, per aliquot tempus a quibusdam Chirurgis Militaribus usurpata, inter milites legionis octogesimæ octavæ in nosocomio adoptata est Decembre 1816, ibique in omni casu morbi ejus qui postea acciderit, in usu adhibita est.

Est narratio ejus tractationis, quam in paginis sequentibus divulgare volumus, et ut meliùs operam nostram perficiamus, eam modo insequente tractare nobis consilium est.

1mo. *Affectiones primarias* quæ curatæ sunt enumerare.

2^{ndo}. Mentionem de *Affectionibus secundariis* quæ iis supervenerunt facere.

3^{tio}. *Opiniones quasdam* ad hanc methodum medendi spectantes proferre.

DE AFFECTIONIBUS PRIMARIIS.

Auctores adeo inter se consentiunt, in certas notas primitivis affectionibus Syphiliticis attribuendo, quibus credunt esse distinguendas, ut nos haud parum puditum sit, sententias eas in dubium convertere.

Animum tamen sedulè adhibendo speciebus manifestis quas ulcera genitalium sibi assumunt, ad hanc conclusionem tandem a nobis ventum est, quòd a variis rebus, cum tot varias formas induerint, difficillimum sit dictu, quando sint verè Syphilitica.

Hanc in sententiam ire nobis persuasum est, ex his causis insequentibus.

1mo. Quia singuli nobis apparuerunt, formis ulcerum genitalium peculiaribus opportuni esse, de quâcunque causâ hæc exorta essent.

2^{ndo}. Quia ulcera characteres varios possidere videntur, secundum structuram aut functiones partium singularum ex genitalibus, in quibus situm habeant.

3^{tio}. Quia ulcera genitalium speciem manifestam mutant, pro gradu irritationis in sys-

temate præsentis, aut potiùs in parte affecta inductæ, rebus ad ulcera ipsa applicatis.

4to. Quia Causticis ad partem genitalium sanam applicatis, ulcera incitare possumus, iis venereis designatis adeo similia ut Chirurgi, qui in morbis venereis maxime versati sunt, (judices sine dubio optimi,) alia ab aliis distinguere non potuerint.

5to. Quia signa Syphilidis consecutiva, excoriationem simplicem, æque ac ulcuscula venerea optime definita, secuta sunt.

Quanquam autem nobis penitus persuasum est, ulcera venerea ex speciebus quas sibi sumant, ab aliis non-venereis dignosci non posse, vix credendum tamen est, ut causæ quas adduximus, ad nostram sententiam instituendam, aliis quoque persuaserint, qui eandem habeant, opinionesque communes, et pœnè ab omnibus creditas, in dubium ferant.

Itaque ut conspectum quam clarissimum exhibeamus affectionum quæ nobis sese obtulerunt, in hoc opusculo Academico, animum attendemus distinctionibus inter ulcera venerea, et alia non-venerea, ut a scriptoribus practicis jactæ sunt.

Affectiones partium genitalium quæ inter

menses Decembris 1816, et Februarii 1818, nobis tractatæ sunt, et de quibus in paginis sequentibus dicere volumus, fuerunt

Ulcuscula characteres Venereos habentia. . .			59	
Ulcuscula ejusdem generis, cum Bubone superveniente.	Ante ægros in nosocomium admissos.	36	38	
	Post ægros in nosocomium admissos.	2		
Casus in toto affectionum signa Syphilitica habentium.				97
Ulcuscula diversorum generum signis Syphiliticis carentia.			41	
Ulcuscula ejusdem generis, cum Bubonibus sequentibus.	Ante ægros in nosocomium admissos.	8	9	
	Post ægros in nosocomium admissos.	1		
Casus in toto affectionum signis Venereis carentium.				50
			Casus in toto utriusque generis.	147

His de signis affectionum localium præmissis, de eorum progressu dicamus oportet, imprimis autem, de tractatione cui subjectæ sunt, pauca proferre necessarium est.

METHODUS MEDENDI, quæ in affectionibus primitivis exercita est, ita gesta fuit, ut si affectiones illæ actione omni specifica destitutæ essent, et itaque fere semper ad locum affectum directa est.

Cum autem omnibus inflammatio plus minusve aderat, ægri certos limites observare cohibiti sunt.

Ægri per totam curationem se in lecto continere semper coacti sunt.

Diæta animalis caute prohibita est, donec inflammatio earum affectionum assecla submota est.

Ad sanguinis missionem decursum est cum inflammatio nimis alta facta est, præcipue in casibus bubonis, phymosis, et paraphymosis.

Purgantia ægris primo in nosocomium admissis ferè exhibita sunt, et per curationis decursum ita repetita, ut alvum semper facilem tenerent, hæc autem nunquam ex Hydrargyro formata sunt.

APPLICATIONES EXTERNÆ pro conditione affectûs variæ erant.

Cum ULCUSCULA ferè semper (ad ægri adventum in nosocomium) plus minusve in-

flammata sunt, iis per aliquot dies cataplasmata emollientia, et fomenta calida sedulò admota sunt.

Inflammatione sublatâ, partes affectæ solum mundæ servatæ sunt, et ulcusculorum superficies segmentis lintei tecta est.

Breve tempore verò, ulcuscula ferè pigra, et torpida quasi facta sunt; cum ita acciderit, ea lavare aquâ Calcis, solutione Acetatis Plumbi, Acido Nitrico diluto, aut ea Sulphate Cupri tangere, solitum est.

Bubonibus applicationes variæ erant, pro conditione eorum inflammatâ, pigrâ, suppuratâ, aut ulceratâ.

In *conditione inflammata* resolutioni favere soliti sumus, hirudines buboni et cataplasmata calida applicando, aut lotionibus astringentibus; aut quod meliùs respondere visum est, usu alterno applicationum calidarum, et frigidarum.

In *conditione pigrâ*, bubonibus rubefacientia, vesicatoria, et imprimis pressura admota sunt.

In *suppuratione* bubonis, applicationes calidæ assiduè usurpatæ sunt, et quum pri-

mum fluctuatio evidens evasit, tumor aut scalpello, aut (quod meliùs visum est) potassâ apertus est.

In *ulceratione* quæ iis rebus inducta esset, cataplasmata calida ulceri applicata sunt, usque dum processus granulationis incepit, et postea in plerisque casuum ulcus tegere linteo cum unguento simplici oblito, sat erat.

In paucis sinus, quum sub integumentis formati essent, aperti sunt, atque ex fundo curati fuerunt.

Cum granulationes magnæ et spongiosæ factæ sunt, eas lotionibus astringentibus lavare oportebat.

Bubonibus per aliquot tempus pigris, tandem autem in suppurationem abeuntibus, et apertis, substantiæ fungosæ nonnunquam sese ostenderunt,—his pressura imprimis adhibita est, et postea scalpello, aut causticis submotæ fuerunt.

Pauca de **PROGRESSU** affectionum localium nunc dicere oportet.

Causâ perspicuitatis, hæc modo generali insequenti exponere licet.

Quod ad Ulcuscula attinet, dici potest.

1mo. In magnitudine post ægri admissionem in nosocomium raro augerentur; contra autem, minus inflammata sint facta, et brevi tempore cœperunt in melius apparere, et sanare.

2^{ndo}. Ad phagedænam proclivitas esset in quatuor casibus, atque horum in uno solummodo, amissio substantiæ evidens remanserit post cicatricem formatam.

3^{tio}. Processus phagedænæ ex iis casibus, a paraphymosi oriri videretur in uno, ab applicationibus nimis irritantibus in alio, atque in duobus aliis a fatigatione itineris faciendi, ideoque ægri prohibiti essent quo minus ulcuscula curarent.

4to. Nulla forma ulceris propria, præ se ferre videretur ullam aversationem sanandam, nam excoriatio simplex ferè tantum temporis, quantum ulcus characteres venereos exhibens, inter medendum occupavit.

5^{nto}. Tempus ad sanationem necessarium moderari appareret magnitudine ulceris, gradu inflammationis, et rebus ei applicatis.

6to. Cicatrices ulcerum in quibusdam ex-

emplis per aliquot tempus subduræ remanserint; in quatuor tamen, aut quinque solum, in ulcera de novo reciderint.

Periodus ad singula ulcera sanandum nesaria, tabulis insequentibus exhibetur.

TABULA 1ma.

Tempus exhibens quod ad Ulcuscula specie Syphilitica sananda necessarium fuit.

Casus.	In quot diebus sanati.	Casus.	In quot diebus sanati.	Casus.	In quot diebus sanati.
6	5	3	17	2	29
3	6	4	18	3	30
5	7	4	19	3	31
1	8	1	20	2	32
5	9	4	21	1	37
4	10	2	22	1	38
3	11	2	23	2	39
3	12	3	24	1	43
5	13	2	25	1	45
3	14	1	26	2	51
5	15	2	27	1	55
6	16	1	28		
				97	in toto.

TABULA 2nda.

Tempus exhibens quod ad Ulcuscula non specie Syphilitica sananda necessarium fuit.

Casus.	In quot diebus sanati.	Casus.	In quot diebus sanati.	Casus.	In quot diebus sanati.
5	5	2	20	2	30
2	6	3	21	1	32
4	7	1	22	1	35
2	8	2	23	1	40
3	9	1	24	1*	79
3	10	1	26	1†	83
2	11	1	27	1*	88
3	12	1	28	1†	111
3	13	2	29		
				50	in toto.

Observatio.—Tempus in his duabus tabulis notatum, ab ægrorum in nosocomium admissione computatur, quæ generaliter fit paucos intra dies postquam affectiones sese ostenderunt.

* Excoriationes pertinaces. † Ulcera Phagedænica.

Quod ad Bubones attinet, observare licet.

1mo. Bubones in tribus casibus solummodo ulcusculis supervenerint, postquam ægri in nosocomium admissi erant.

2^{ndo}. Bubones qui ulcuscula venerea bene expressa secuti sunt, sanatu difficiliores non fuerint, quàm qui excoriationibus simplicibus supervenissent.

3^{tio}. Ex casibus quadraginta septem bubonum, qui sese ostendissent, triginta in resolutionem, et septendecim in suppurationem abierint.

4to. Ex iis qui *resoluti* essent, magna pars conditionem pigram induerit, quo factum est, (ut tabulæ insequentes* ostendent) processum resolutionis tardiorem redditum esse.

5to. Nullum ex bubonibus *suppuratis* phagedænâ implicitum esse.

6to. Bubones suppuratos paucis diebus postquam aperti essent, granulationes ostendere cœpisse, et gradatim etiamsi tardé sanos factos esse.

---

* Tabulæ, 3^{tia}. et 4ta.

7mo. In paucis in quibus inflammatio magna erat, eo magis in iis, qui ægris in nosocomium admissis jam in suppurationem abituri erant, sinus sub integumentis accidissent, quod curationem multum protraxit.

8vo. In quatuor aut quinque casibus, præcipue in iis bubonibus qui lentiùs in suppurationem abiissent, corpus fungosum, cavitate suppurante apertâ, in conspectum venisse, quod tardissime sublatum est.

Tabulæ sequentes ad bubones sanandos tempus exhibent necessarium.

Tabulæ tempus exhibentes quod ad Bubonum RESOLUTIONEM necessarium fuit.

TABULA 3tia.

Tempus exhibens necessarium ad resolutionem Bubonum qui Ulcuscula specie Syphilitica secuti sunt.

Bubones.	In quot diebus resoluti.	Bubones.	In quot diebus resoluti.	Bubones.	In quot diebus resoluti.
1	3	2	14	1	31
1	4	1	16	1	42
2	5	2	17	1	44
1	8	1	19	1	45
3	10	3	22	1	46
1	12	1	26	1	68

TABULA 4ta.

Tempus exhibens necessarium ad resolutionem Bubonum qui Ulcuscula signis venereis carentia secuti sunt.

Bubones.	In quot diebus resoluti.	Bubones.	In quot diebus resoluti.	Bubones.	In quot diebus resoluti.
1	6	1	17	1	35
1	11	1	30	0	0

Tabulæ tempus ostendentes necessarium, ad Bubones ULCERATOS sanandum.

TABULA 5ta.

Tempus exhibens necessarium ad curationem Bubonum qui Ulcuscula specie Syphilitica secuti sunt, et qui in Ulcerationem abierunt.

Bubones.	In quot diebus sanati.	Bubones.	In quot diebus sanati.	Bubones.	In quot diebus sanati.
1	25	1	35	1	68
1	29	1	45	1	69
2	31	1	60	1	70
1	34	1	61	1	86

TABULA 6ta.

Tempus exhibens necessarium ad curationem Bubonum qui Ulcuscula non specie Syphilitica secuti sunt, et qui in Ulcerationem abierunt.

Bubones.	In quot diebus sanati.	Bubones.	In quot diebus sanati.
1	35	1	95
1	76	1	105

De AFFECTIONIBUS SECUNDARIIS.

Syphilis in sua forma consecutiva tot varietates sibi sumit, quæ plerumque ita characterum diagnosticorum expertes sunt, ut non sine difficultate, si ullo modo fieri possint, ab aliis morbis qui notas similes possident, distinguantur.

Hæc difficultas signa Syphilidis secundaria dignoscendi, ab auctoribus diversis ad causas varias relata est. A quibusdam præcipuè existimatum est, ex viribus Hydrargyri in systemate potissimum oriri: aut aliis in verbis, quia hoc remedium sub hac aut illa forma, ad curationem primariarum affectionum venerearum usurpatur, id aut signa secundaria quæ primariis superveniant, ita afficere ut characteres venereos amittant, aut aliis affectionibus novis ortum dare, quibuscum signa Syphilitica confundantur, contendunt.

Quanquam hæc opinio a quibusdam magni nominis habeatur, nihilo tamen seciùs dubia esse videtur: sed cum in præsentia opiniones scrutari non sit, dicere licet, quod in casibus

ubi Hydrargyrus nunquam exhibitus erat, vel ad curationem affectionum localium, vel ad ullam rem aliam, eadem varietas in aspectu signorum secundariorum sese ostenderit; vel ut sententiam nostram meliùs dicamus, tot variæ affectiones iis ægris, qui Hydrargyro ad ulcuscula genitalium curanda non usi sunt, acciderunt, ut impossibile esset dictu, quæ earum re vera Syphiliticæ, quæ non essent.

Nobis quidem apparuit, diagnosin secundariarum affectionum venerearum adhuc esse, et veri est simile diu futuram esse, rem desideratam in Medicina.

Huic persuasi, eas discriminare non conabimur; satis esse ducemus mentionem de morbis facere, qui iis ægris acciderint quorum affectiones primitivæ absque Hydrargyro tractatæ sunt, eoque modo aliis pensum relinquemus signa vera Syphilitica dignoscendi ab aliis vulgo Pseudo-Syphiliticis dictis.

Affectiones, quibus hi ægri impliciti sunt, vel *cutis*, vel *faucium*, vel *oculorum*, vel *ossium* morbi fuere; de his separatim tractare nobis consilium est.

Prædicere autem oportet, eas affectiones nullam certam formam ulceris aliæ antepo-

nere, neque de ætate, nec ratione vivendi, nec de corpore vicissitudinibus cæli objecto, nec de ulla causa evidente pendere visas esse :— Nobis quidem res est mira et inexplicabilis, quare in aliis accidissent, dum in aliis pari modo positis, nihil ex his apparuisset.

Adjicere licet, nullam affectionem aliam ægris absque Hydrargyro tractatis accidisse posse, nisi quas recensituri sumus, neque possibile apparet ut quis eorum hoc medicamento sine nostra notitia unquam usus esset, nam inspectio frequens ægrorum temporibus diversis facta est, ut de his præcaveretur.

Tabula insequens omnes affectiones secundarias ostendit, quæ primariis signis de quibus mentionem fecimus supervenerunt.

TABULA 7^{tima}.

Affectiones Consecutivas exhibens.

Forma ulcerum Primariorum	Forma Affectionum Secundariarum iis supervenientium.				
Ulcera specie Syphilitica.	A. Eruptiones nullis aliis morbis comitatæ			9	
	B. Eruptiones aliis morbis comitatæ, aut secutæ, viz.	α. Faucibus ulceratis et Ophthalmia.	1	3	
		β. Nodis. . .	2		
	Casus in toto affectionum secundariarum Ulcuscula specie Syphilitica sequentium.				12
Ulcera specie non-Syphilitica.	A. Eruptiones aliis morbis comitatæ aut secutæ, viz.	α. Faucibus ulceratis.	1	2	
		β. Ophthalmia.	1		
	B. Fauces Ulceratæ sine ullo alio morbo.			1	
	C. Nodi sine ulla affectione alia. . .			1	
	Casus in toto affectionum secundariarum Ulcuscula specie non Syphilitica sequentium.				4
Casus in toto affectionum secundariarum utriusque generis, ...					16

CUTIS AFFECTIONES.

In morbos cutis tractare conando, facere non meliùs possumus, ut nobis apparet, quàm eos generibus diversis Doctoris Willan referre.

Quanquàm hoc esse pensum facile videatur, adeò varii tamen fuerunt characteres singularum eruptionum, et ita inter sese genera et ordines quidem commista sunt, ut in omni casu difficile, et in quibusdam etiam impossibile fuerit dictu, quem locum classium Doctoris Willan affectio occuparet.

Quantum tamen in hac re observare potuimus, nobis apparuit omnes eruptiones, quæ in conspectum venerunt nostrum, ordinibus Tuberculorum, Exanthematum, et Pustularum referri posse.

In omni fere casu eruptionis, ad quemcunque horum ordinum attinuerit, quædam Papulæ acciderunt, earum verò numerus tam exiguus fuit, ut vix mentionem de iis facere operæ pretium esset.

Eruptiones Tuberculosæ fuerunt frequentissimæ, quædam hujus ordinis characteres *Acnes* possiderunt, sed sæpiùs Eruptionis descriptæ, et a Doctore Bateman delineatæ, in Actis Medico-Chirurgicis.*

Illæ fere in desquamationem furfuraceam desierunt, et plerisque in casibus maculas nitidas infra æquor cutis depressas, et coloris cuprei reliquerunt, quæ pro brevi temporis spatio perstiterunt.

Eruptiones Exanthematicæ inter se consenserunt in characteribus earum generalibus; sed cuiquam generum Doctoris Willan accuratè non similes fuerunt.

Figura hujus Eruptionis, *Roseolæ* haud absimilis fuit; color tamen ejus multum fuscior, et ipsâ diutius perstitit. Hæc in cuticulæ desquamationem paulatim abiit.

Eruptio Pustulosa, in casu uno solummodo accidit, et signa omnia *Impetiginis Sparsæ* exhibuit.

---

* Vol. V[to]

In casu uno alterove, signa febrilia Eruptiones antecesserunt, in plerisque autem non ita se habuit. Signa febrilia nunquam longius quam duo tresve dies continuabant, neque Eruptionibus præsentibus valetudo cujusvis aliter injuriam accipiebat.

Eruptiones potissimum balneo calido, diaphoreticis, et purgantibus pro re nata, tractatæ sunt.

Quibusdam ægris Sarsaparilla et Guiacum exhibita sunt, sed virtutes non majores quam Pulvis Antimonialis, aut Pulvis Ipecac. Comp. possidere nobis visa sunt.

His præfatis, Tabula insequens numerum Eruptionum, ordines diversos morborum Cutis quibus attribuendæ sunt, formam ulceris cui supervenerunt, tempus quod inter adventum primariorum atque signorum secundariorum intercederet, spatiumque ad Eruptionum curationem necessarium, ostendet.

TABULA 8va.

Eruptiones Exhibens.

Nomina Ægrorum.	Ordo Willani cui referri possunt.	Forma Ulceris cui supervenerunt.	Intervallum inter Signa Primaria et Secundaria.	Tempus Curationis.
J. B.	Tuberculæ	Ulcuscula specie Syphilitica	Dies . . 27	Dies . . 30
A. G.	Tuberculæ		Menses . 4	Dies . . 23
J. S.	Tuberculæ		Dies . . 22	Dies . . 42
C. B.	Tuberculæ		Dies . . 25	Dies . . 21
C. B. R.	Tuberculæ		Dies . . 40	Dies . . 10
C. L.	Tuberculæ		Hebdom. 14	Dies . . 45
W. G.	Tuberculæ		Dies . . 21	Dies . . 44
T. S.	Tuberculæ		Hebdom. 8	Dies . . 21
C. F.	Exanthemata		Dies . . 45	Dies . . 14
C. P.	Exanthemata		Dies . . 40	Dies . . 45
C. P. H.	Exanthemata		Dies . . 30	Dies . . 8
C. B. M'G.	Pustulæ		Dies . . 23	Dies . . 18
T. M.	Tuberculæ	Ulcuscula non specie Syphilitica.	Hebdom. 10	Dies . . 23
M. F.	Tuberculæ		Hebdom. 17	Dies . . 14

FAUCIUM AFFECTIONES.

Tribus in casibus solummodo, Fauces morbo implicitæ sunt, in his omnibus inflammatio acuta simul cum tonsillarum et uvulæ incremento, affectionem constituit.

Membrana interna abradi videbatur quibusdam in locis margines inæquales habentibus, sed ne ulli quidem horum ulceratio ordinata adfuit.

In duobus horum casuum, hæc affectio ulcera non specie Syphilitica, in altero autem, ulcus venereum bene definitum secuta est; in hoc etiam casu, et in uno priorum, cum Eruptione Tuberculosa incepit; in tertio casu sine ullo comitanti signo apparuit.—In duobus casibus circiter menses quatuor, in tertio ad intervallum quinque mensium, a signorum primariorum adventu, affectio evenit.

Gargarismatum usû astringentium, et Embrocationum ad fauces externas stimulantium, et Regimine Antiphlogistico strictè observato, hæ omnes affectiones, diebus circiter quatuordecim, submotæ sunt.

OCULORUM AFFECTIONES.

In duobus casibus morbi oculorum inciderunt. Affectio ambobus evenit post menses circiter quatuor quàm signa primaria sese ostendissent, in ambobus facta est dum Eruptio Tuberculosa præsens esset, et in ambobus quoque exemplis, ex inflammatione acutâ Conjunctivæ Iridisque constitit.

In altero tamen casu, ulceri specie Syphilitico supervenit, et in eo exemplo ambo oculi affecti sunt,—in altero, post ulcus non specie Venereum affectio evenit, et in eo casu, oculus solummodo unus male se habuit.

Tractatio in iis exemplis eadem erat ac Ophthalmiæ ex aliis causis orientis, curâ adhibitâ Extractum Belladonnæ applicando, quo minùs pupilla concresceret, quod Iride inflammata frequentissime accidit.

Ambo casus erant molesti; in casu quo oculus unus affectus est, Iridis malum per hebdomadas octo perstitit, et quanquàm in uno puncto exiguo, adhæsio inter marginem

Iridis, et Capsulam Lentis Chrystallinæ facta sit, visus nihilominus perfectus remansit.

In altero casu, oculus unus ad statum pristinum rediit post hebdomadas circiter quatuor; alter vero diutiùs laboravit, et igitur Sub-Murias Hydrargyri exhibitus est, ita ut gingivas afficiat: allevatio mali ex Iride brevi secuta est; sed ut in priori casu adhæsio lenis facta est, et Cornea quodammodo nebulosa per aliquot hebdomadas remansit.

OSSIUM AFFECTIONES.

ÆGRORUM tribus, quorum affectiones venereæ primariæ absque Hydrargyro tractatæ essent, Nodi supervenerunt.

Cum hi casus in aspectu, progressu, et tractatione, admodum dissimiles essent, narratio brevis singulorum, methodus optima esse videtur, quâ phenomena, quæ se ante oculos posuissent, exhibeantur.

CASUS 1^mus.

Miles, qui nunquam Syphilide antea laborâsset, neque Hydrargyrum unquam sumpsisset, tractatus est sine usu illius medicamenti pro Affectione Venereâ primaria bene expressâ.

Mense uno, postquam ulcus penis apparuisset, Nodus super utraque ejus tempora surgebat, et eodem tempore Eruptio Tuberculosa sese ostendebat.

Antimonialium usu, et Vesicatoriorum applicatione, Nodi diebus circiter quatuordecim curati sunt.

CASUS 2^{ndus}.

Præfectus, qui annos quinque antea Hydrargyrum ad curationem primariæ affectionis venereæ brevi tempore sumpserat, iterum signis valde expressis affectionis localis implicitus est, quæ sine usu Hydrargyri submota sunt. Mensibus duobus post ulceris in penem adventum, Eruptio ei Tuberculosa erat, quæ etiam sine Hydrargyro in fugam conversa est.

Mense uno post eruptionis ejus accessionem, Nodus super os frontis se ostendebat, doloribus acerbis capitis, artuumque majorum comitatus.

Antimonialia, Guiacum, et Balneum Calidum per mensem usurpata sunt, effectu magna ex parte Nodum curandi; sed doloribus perstantibus, et valetudine inclinante, ad Hydrargyrum decursum est.

Quùm primum gingivæ eo teneræ factæ sunt, dolores fugerunt, valetudo melior rediit, et brevi se bene habuit.

CASUS 3^{tius}.

Miles, qui annos sex antea usu Hydrargyri, primariâ ex affectione venerea curatus est, in nosocomium die secundo ante Kalendas Februarii anni 1817, admissus est, ulcus in præputio habens, quod characteres venereos non induit, sed quod iterum iterumque phagedænâ infestatum, sanari recusavit usque dum Hydrargyrus exhibitus est.

Mensibus tribus postquam admissus erat, Nodus in ossi parietali dextro visus est, cui Nodi alii recentiores, intervallis temporis quatuor diversis, super os frontis, ulnam, tibiasque ambas successerunt, et cum accessio ejusmodi novissima, tam recenter accidisset quàm in Februario anni hujus 1818, æger solummodo mense Junii nosocomium reliquit.

In hoc casu tractando Hydrargyrus tempestivè usurpatus est, Nodos tamen in meliùs mutare non visus est, itaque intermissus,—

bis postea tentatus est, modo effectus optatos producere apparuit, modo Nodi in conspectum venerunt novi, dum systema sub Hydrargyri imperio, ut gingivæ testatæ sunt perfectè fuit.

Hic casus quidem est unus ex *anomaliis* Syphilidis, qui artem nostram ad pugnam provocat, atque quo nihil commodi ad scientiam jure deduci potest.

CONCLUSIO.

Mentione de Syphilidis tractatione sine Hydrargyro factâ, paucas facere observationes priùs licet, hanc methodum medendi alteri Mercuriali comparando nobis oblatas, qùam hoc opusculum concludamus.

Quod ad AFFECTIONES PRIMARIAS attinet, dicere oportet.

Ulcuscula multo rarius Phagedænâ implicita fuisse; et in ferè omnibus casibus citiùs faciliùsque sine Hydrargyro, quam alia ejusmodi cum ejus usu, sanata. Præterea in Bubonibus curandis, hujusce tractationis non-Mercurialis præstantia magis adhuc conspicua fuit.

Quod ad AFFECTIONES SECUNDARIAS attinet, observari potest.

Ut etiamsi frequentiores fuerint, cum ab Hydrargyro abstineretur, plerumque tamen leniores, et minus pertinaces fuerint, quam similes sub usu Hydrargyri fuissent.

Contra autem, silentio non prætereundum est, ut effectus Hydrargyri salutares, postquam tractatio non-mercurialis spem nostram fefellisset, paucis in casibus valde notabiles celeresque facti sunt.

Ex his rebus jam prolatis diuque perpensis, effectibus bonis pariter ac malis, quos Hydrargyrus producere cognitus est, æquo animo consideratis, in quibus casibus Hydrargyrus daretur, in quibus abstineretur, dijudicare difficillimum est.

Alii medici, nihil dubitamus, hanc methodum medendi novam Syphilidis, rotundo ore damnabunt, atque Hydrargyrum prorsus necessarium, ad Syphilidis curationem, eique semper adhibendum, summis viribus contendent.

Alii hanc methodum tractationis, ita fortasse temperabunt, ut Affectiones Primarias sine Hydrargyro sanarent, et tum ad ejus usum, (constitutionem tutam causâ reddendi,) decurrent.

Alii contrà ab Hydrargyro adhuc longiùs abstinebunt, adventum signorum secundariorum expectabunt, et tum confestim ad eum confugient.

Alii adhuc, dum iis de effectibus Hydrargyri injuriosis persuasum est, neque in affectionibus primariis, neque secundariis, usum ejus admittent, dum omnia alia remedia usque spem fefellissent.

Omnes autem hæ sententiæ adhuc præcoces sunt. Ad eas confirmandas, aut refutandas, exempla deficiunt. Doctrinæ generales institui nequeunt. Præcepta generalia non promulganda sunt.

"*Deliberare utilia mora est tutissima.*"

FINIS.